



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Antipharmacum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40295

De Ministro Baptismi.

QVÆRITVR IV. Num valeat baptismus in necessitate à muliere collatus infanti. Respondet in colloquiis symposiacis Lutherus, *valere*, hac tamen lege, *Tit de baptif. si mater ut minimum, duas vel tres alias mulieres aduocandas curet, quæ de baptismo collato testimonium coram Ecclesia perhibeant: quia in ore duorum vel trium testium, stat omne verbum.*

Antipharmacum.

BAPTISMI valor non pendet à præsentia vel absentia testium; sed à voluntate & institutione Christi: neque enim dixit Christus: *Baptizantes eos præsentibus testibus in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*; nam testium nullam penitus mentionem fecit.

Quæritur V. Num valeat Baptismus, si nemo testium interfit, sed sola mater vel alia quæcunque mulier infantem baptizet. Respondet Lutherus in colloquiis mensalibus. *Si mortis periculum infanti impendeat, neque tempus sinat, ut testes aduocentur, infantem à matre baptizari debere; neque de veritate baptismi, vel de salute infantis, si moriatur, dubitandum esse.* Rectè hæc Lutherus; nam ut baptismus validè conferatur, non eget vllius alterius testimonio. Sed iam

Quæritur VI. Quid faciendum, si infans hoc modo clam baptizatus superuiuat. Respondet Lutherus: *Nullum verbum mater de huiusmodi baptismo infanti collato facere debet: sed penitus silere: & postea infantem, Christiano more & ritu ad baptisma publicum adferre, ut baptizetur.*

Idem delirium tradit Hunnius, de baptismo cap. 13.